



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

7 Renunciatio beneficij facta virtute mandati reuocati, sed non intimati procuratori, valida est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



pro conseruatione rerum Monasterij, ad obligandum res & redditus eiusdem Monasterij constituere valet; Nec Provincialis dictos Procuratores a conuentu legitime constitutos reuocare, nec Prælati electionem Procuratoribus illis non vocatis facere potest.

## DECISIO XIII.

Ex consil. 12. alias 3.

**G**eneralis, & Definitorum cum maiori parte Capituli in modum eligendi iure communi conformem, neque in toto neque in parte, absque expressa Papæ facultate, tollere possunt; quia nulli ei inferiori legem iuri communi contrariam edere licet, c. Quod super his, de maior. & obed. inferior. d. 4. Clem. Ne Romani, de elect.

## DECISIO XIV.

\* *U. L. in Nouis, deest in antiquis.*

**Q**uamuis Collegium ex duobus saltem constare debet, c. Cum inter Canonicos, de elect. in tali tamen eadem, si exterum solum eligere possunt; siquidem ut electio valeat, a maiori parte fieri debet, c. Cum inter canonicos, & c. quia propter, de elect. ubi autem duo tantum essent in Collegio, quia nec quis seipsum eligere valet, nec suffragando alteri maior pars suffragiorum adesset, ut electio ab eis validè fiat, extraneus idoneus eligi debet.

## TITVLVS VI.

De Renunciacione.

## S V M M A R I V M.

1. Renunciatio beneficij facta coram Notario sine prælati auctoritate est nulla.
2. Confidentia præsumitur, siquid renuncians post collationem ex beneficio percipiet.
3. Beneficium in manibus Papæ resignatum, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij.
4. Publicationis ommissio, quando resignationem annullat.
5. Episcopus renuncians, qui vegetus est, & usus esse potest peccat.
6. Renunciatio reciproca, & illicita, quæ censetur?
7. Renunciatio beneficij facta virtute mandati reuocati, sed non intimati procuratori, valida est.
- \* 8. Renunciatio episcopatus sine licentia Papæ perita, sed non obtenta, non valet.
- \* 9. Beneficium resignatum Episcopus proinquo resignantis conferens, a collatione beneficiorum suspensus est.
10. Resignatio beneficij per procuratorem absentis facta in manibus Papæ admittentis, quidnam operetur?

## DECISIO I.

Ex consil. 1. in antiquis, alias 3. in Nouis.

**R**enunciatio beneficij coram Notario, & testibus sine superioris licentia, facta, ipso iure nulla, & inualida est. Quod in dubijs, & c. admonet, de renunciat.

## DECISIO II.

**R**enunciatio beneficij coram Ordinario nulla facta confidentia expressa, & aliquos fructus beneficij a renunciatio postea ob paupertatem accipiens, quamuis in foro conscientie non sit peccati arguendus si nulla fraus interuenit, in foro tamen exteriori interuenisse confidentiam præsumitur. Ita Pius V. in Bulla contra confidentarios, quæ incipit, intolerabilis, edita anno 1569. Constit. 87.

## DECISIO III.

Ex consil. 2. alias 7.

**R**esignatio beneficij a sano facta in manibus Papæ, per eius provisionem subsecutam fit resignatarij, nec illud alteri conferre potest ordinarius, etiam si resignans infra 20. dies in mense ordinarij moriatur, cum per talem resignationem, & provisionem vicè vacauerit beneficiū,

& collatum fuerit resignatario; Et Reg. 1. Cancellarie de infirmo resignante, non de sano intelligenda est.

## DECISIO IV.

Ex consil. 3. alias 8.

**O**btinens a Papa beneficium per resignationem, & expressis literis ad imperium patris, & ad euitandam discordiam inter cognatos eius, & resignantis, ultra sex menses resignationem publicare, & possessionem capere omittens, nec beneficium obtentum perdit, nec fructus perceptos restituere tenetur; eo quod lapsus sex mensium præscriptorum ad publicandas resignationes, & beneficij resignati apprehensionem, saluo iusto impedimento intelligi debet, cum agere iuste impedito non curat tempus. Quia diuersitatem, de concess. præb. & capit. Ex transmissa de præser. Et patris obedientia ad euitandam discordiam ex publicatione euidenter securatur, iustum censetur esse filio impedimentum, maxime cum ex ea dilatione nulli fiat præiudicium.

Quoad modum & formam publicandi beneficiorum resignationes, legenda est Bulla Gregor. XIII. quæ incipit, *Humano vix*, & est 87, in ordine eiusdem, edita anno 1583, Nonis Ianuarij.

## DECISIO V.

Ex consil. 4. alias 2.

**E**piscopo renunciare Episcopatu, & dignitati, qui coram, & animi viribus satis adhuc vegetus est, & magno cum fructu, concionando, prælegendi, & consulendo, & Sacramenta ministrando prodesse potest, sine peccato, non licet, ut contemplationi quietis dare se possit. c. 1. & c. Nisi cum pridem, de reuoc.

## DECISIO VI.

Ex consil. 5. alias 10.

**R**ector resignans sine vlla reservatione rectoriam suam in fauorem alterius, qui est filius alterius Rectoris, qui post aliquot annos renuntiat aliam suam Rectoriam in fauorem filij primi Rectoris reseruata pensione medietatis fructuum, non censetur renuntiationem reciprocam, & a Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. de refor. damnatam admisisse; eo quod nullum ibi interuenit pactum aut conuentio tacita vel expressa resignationis vnius in fauorem alterius, & è contrario; sed solum patet renuntiationem resignauit, ut iure naturali gratitudinem suadeante, & obligationem antidotalem inducente, amico suo benemérito ostenderet. Ita Nau. in Manu. c. 23. nu. 107, & 116.

## DECISIO VII.

Ex consil. 7. alias 11.

**R**enunciatio beneficij virtute mandata reuocati, dum modo reuocatio procuratori ipsius renunciantis ad renunciandum non sit intimata, neque ei, in cuius manibus erat facienda renunciatio, valida est; nec sufficit illius reuocationis notitia ad eum, in cuius fauorem renunciatio facienda erat, venisse, sed requiritur, ut reuocatio illa procuratori renunciantis intimata sit, ad hoc ut renunciatio per Procuratorem facienda nulla censetur. Clem. 1. de reuoc. & g. ibi.

## DECISIO VIII.

\* II De renunciat. in Nouis deest in antiquis.

**E**piscopatus sine licentia Papæ etiam perita, sed non obtenta renunciatio non tenet. Arg. c. si de reuoc. & c. licet, de reg. iur. etiam si in manibus Capituli fiat, ad quod electio spectat, nec causat vacationem, nec etiam aperit, ut ad electionem procedi possit; si tamen ob talem renunciacionem inualidam, & nullam, Capitulum ad vltiorem electionem procedat, ipso facto eligendi potestate non priuatur, cum id nullibi expressum in iure sit; priuationis autem poena, non nisi in casibus a iure expressis incurritur. Glo. in c. fin. de iur. pat. Quia tamen crimen in admittendo est a summo Pontifice priuari potest. Sicut a simili, licet simoniacus conuentionalis tantum, & non realis.